

XVI. De Ordine.²⁴⁰

Neque ordinatio apostolica, neque septiformis ordo²⁴¹ Papistarum (si sacramentorum rationem rite consideremus) dici potest sacramentum.

Ordinatio enim apostolica, quae fit per orationem et manuum impositionem,²⁴² et complectitur electionem et vocationem ad ministerium verbi Dei, Euangelii et sacramentorum ('ordinari' enim est eligi et vocari ad horum administrationem) non habet partes sacramentales, neque eundem finem cum sacramentis, ut sit signum reconciliationis etc. Non enim omnia Dei mandata, neque omnes promissiones statim dici debent sacramenta, cum sacramenti vocabulum in propria significatione usurpetur. 5 10

Ordines vero Papistici, cum non sint destinati ad ministerium verbi, cumque verae [133:] Ordinationi ecclesiasticae sint impedimento, bona conscientia omitti possunt, et non propterea male meretur de Ecclesia christiana (etsi ecclesiae Papisticae non facit rem gratam) quicumque eos cum suis superstitionibus nominibus, unctionibus et rasuris omittit. 15

XVII. De Matrimonio.²⁴³

Matrimonium (quod clerus Papisticus summe exosum habet) agnoscimus primaeuam ordinationem Dei, quod fuerat ab initio mundi inter virum et mulierem.²⁴⁴ Sed quomodo sit in Nouo Testamento sacramentum, ex locis, quos auctor libri citat, ex Matthaeo, Marco et Paulo, iuramus per Deum, nos videre non posse. Quod autem diuus Paulus ad Ephesios V. vocat matrimonium „Mysterium magnum (ubi interpret male transtulit „sacramentum“) Christi et Ecclesiae,“²⁴⁵ non propterea dici potest sacramentum, ut Baptismus est et dicitur sacramentum, cum sint diuersissimae rationes, quae facile possunt discerni ab iis, qui non sunt prorsus rudes in doctrina christiana. Nos igitur, his ostensis, neque Poenitentiam, Confirmationem, extremam unctionem, ordinem, neque matrimonium, pro veris sacramentis acceptamus, (alioqui singulis id quod decet tribuentes), cum non habeant sacramentales partes, elementum, verbum et mandatum, nec sint gratiae et testi-[134:]monia remissionis peccatorum ac vitae aeternae etc. 20 25 30

Porro quod autor libri Interim, cum de causis sacramentorum agit, in principio loquens de sacramentis in genere, dicit: sacramenta esse signa inter ipsos homines, quibus christiani ab aliis agnoscantur;²⁴⁶ quam fallere tunc possunt

²⁴⁰ Vgl. Augsburger Interim XX, 93.95.

²⁴¹ Vgl. Augsburger Interim XX, 95: „Ordines autem, quos catholica ecclesia agnoscit sunt hi septem: presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, acoluthorum, lectorum, exorcistarum, ostiariorum.“

²⁴² Vgl. Act 6,6; 13,3; I Tim 4,14; II Tim 1,6.

²⁴³ Vgl. Augsburger Interim XXI, 95–103.

²⁴⁴ Vgl. Gen 1,27; 2,24.

²⁴⁵ Eph 5,32.

²⁴⁶ Vgl. Augsburger Interim XIV (De sacramentis in genere), 73.